Quelle: https://manuscripta.at/?ID=128
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et fluuium. Sed diuidimus sic articulo, ut dicamus hic canna romanorum sanguine maduit uel caduit, uel genere ut canna romanorum sanguine plena fuit, uel casu uel numero. In illo enim singularis tantum est, in isto pluralis. et de aliis quidem eodem modo. Sunt autem alia secundum accentum, alia sunt secundum orthographiam. Secundum accentum quidem ut pone pone. Secundum orthographiam ut queror et queror, ab inquisitione et querela. Et hec rursus secundum ipsam orthographiam diuiduntur, uel secundum actionem et passionem. quod queror ab inquisitione passiuum est. Queri autem a querela agentis est. Ambiguarum uero orationum facienda est diuisio, aut per adiectionem, aut per diminutionem, aut per diuisionem, aut per aliquam transmutationem, ut cum dicitur audio uinci troianos uincere grecos. Ita dicamus. audio quod greci uincunt troiani uincuntur. Hec id est ambiguitas qualibet earum soluitur. Non tamen ita dicenda est. Omnis uocum significatio tanquam genus. In genere enim species enumerantur. In ambiguitate uero tantum sufficiunt quante ad eum sermonem possint esse utiles. quoniam alterutrum nectit oratio. Ac de uocis quidem significatione sufficienter dictum est. Est autem et generis totiusque diuisione propositum atque expeditum. Quare de omni secundum se partitione diligentissime pertractatum est. Nunc autem de his diuisionibus que per accidens fiunt dicemus. Harum autem commune preceptum est. Quicquid ipsorum diuidit in opposita disgregari. Ut si subiectum in accidentia diuidimus, non dicamus corporum alia sunt alba alia dulcia, quoniam opposita non sunt. Sed corporum alia sunt alba, alia nigra, alia neutra. Eodem quoque modo in aliis secundum accidens diuisionibus diuidendum est. atque illud maxime perspiciendum nequid uel dicatur, aut minus sicut fit in generis diuisione. Non enim oportet relinqui aliquid accidens ex eadem oppositione quod subiecto illi insit quod non in diuisione dicatur. Neque uero ad id aliquid quod subiecto inesse non possit. Posterior uero peripatetice secta prudentie differentias diuisionum diligentissima ratione perspexit. Et per se diuisionem ab ea que est secundum accidens ipsasque inter se disiunxit ac distribuit. Antiquiores autem indifferenter id est accidente pro genere, id est accidentibus pro speciebus aut differentiis utebantur. Unde nobis per oportuna utilitas uisa est et communiones harum diuisionum prodere et has propriis differentiis disgregare. Et de diuisione quidem omni quantum introductionis breuitas patiebatur diligenter EXPRESSIMUS;

[illegible]